

suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignetur Domino supplicare. Si enim tormenta, quae sancti martyres pertulerunt, sufferre non possumus: vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus.» Sic Augustinus. Quod si igitur persecutor non succedit nobis ignem Laurentii, succedit tamen diabolus multoties ignem avaritiae, ignem luxuriae, ignem iracundiae. Vel tunc igitur ostendamus nos athletas Christi, illudamus dæmoni, et ignem excutiamus ne illo in corde saltem aduramur. Ita S. Dominicus quidam ex ordine Prædicatorum (non fundator, sed alius) tentatus a muliere forinsecus, a dæmone intrinsecus igne libidinis, cum fortiter omnia tentamenta superasset, audivit inclamantes dæmones: *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti et non aristi.* Narrat Bart. Pisanus, in gestis S. Francisci, sanctum illum invitatum aliquando a concione, quam habuerat contra vitium libidinis, a Friderico II. imp. ad convivium splendidum, et postea solum introductum in cubiculum, ubi erat paramatum scortum, quod ad turpitudinem eum illectabat. Sed quid egit Franciscus? In focum ibi paramatum sese injectit, in eoque decumbens, ad eumdem meretricem invitavit. Illa et ignis incendio et viri sanctitate perculsa, fuga se proripuit. Imp. qui hæc per rimulam observarat, ex eo tempore magis venerari virum sanctum cœpit. Eiusmodi salamandras utinam multas haberemus? Hoc pacto cum Laurentio martyres fieri possemus: hoc Laurentianæ fortitudinis exemplum, haud dubio provocavit ad imitationem SS. Macedonium et Theodororum martyres, qui jussu Amalchii Juliani præfecti, cratibus ferreis impositi et lento igne tosti, simili voce, tyrannum compellarunt: «Amalchi assum desideras? Convertito nos in alia latera ne semiassati palato tuo minus sapidi videamur,» Suida auctore.

II. Deinde, illuminat hic ignis primo, qui ostendit nobis viam cœli: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Si enim per hanc viam eduxit amicissimos sibi et innocentissimos; uti S. Laurentium per tot cruciatum et tam sèvum ignem, quia nos aliud sperabimus? «Duo sibi tempora, ait Aug. serm. I. de S. Laurent. ordine succedunt: tempus flendi, et tempus ridendi. Nemo se circumveniat, fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi, etc.» Annon legimus de templo Salomonis, quod dum erigeretur, malleus in eo non audiretur? III. Reg. VI. nimisrum alio loco, et quidem distantissimo secabantur et aptabantur lapides, ut delati in ædificium nulla re indigerent, nisi connexione: ita in templo gloriae nullus mortificationi aut labori locus; hic tensionibus et pressuris expoliendi lapides:

neque ullus sanctorum in illo ædificio est repositus, qui non prius in hoc mundo variis tribulationibus fuerit elaboratus. Falleris ergo si existimas, aliam te inventurum viam. Dicito potius cum Uria: *Dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent, et ego dormiam cum uxore mea, etc.* II. Reg. XI. Christus dux noster in lecto crucis jacet, sancti ejus servi varia patiuntur, angustiantur, afflictantur, secantur, excoriantur, dilaniantur, præcipitantur, elixantur, assantur, uti imprimis S. Laurentius, qui super cratem igne manet, et ego domi dormiam, comedam, bibam, et ducam in bonis dies meos? Per salutem meam non faciam rem hanc.

Secundo, quia demonstrat nobis immensam coronam et gloriam Laurentio in cœlis collatam. Colligimus hoc primo, ex grandi pretio, quod pro ea dedit, siquidem in igne arsit. Secundo, ex heroica ejus virtute, qua tyrannum et minas ejus vicit. Plumbeum non examinatur per ignem sed aurum: olla fictilis non examinatur ad ictum mallei, sed ad levem digitum pulsum: ergo aurum, ergo aurichalcum oportet fuisse Laurentium, qui igne examinatus et probatus est. Concedit illi primas hac in parte S. Xystus, qui eidem dixit: «Nos quasi senes levioris pugna cursum recipimus, te autem velut juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus.» Tertio, ex gloria, quam in terris obtinuit; ubi in gloria et triumphi titulos transierunt instrumenta passionis ejus. Magna reverentia asservatur adhuc craticula, et prunæ, quibus assatus est: Romæ quinque celebres obtinet Ecclesias suo nomini dicatas: unam Sancti Laurentii in carcere, ubi vincetus baptizavit Sanctum Hippolytum: aliam Sancti Laurentii in panis perna, ubi tostus fuit: aliam Sancti Laurentii extra muros, ubi sepultus: aliam S. Laurentii in Damaso: aliam Sancti Laurentii in lucerna. Denique, quam: «Clarissata est Jerosolyma Stephano, tam illustris facta Roma Laurentio,» ait S. Leo, serm. de hoc festo.

Tertio, quia depingit nobis aliquo modo gehennæ cruciatum. Depingit inquam solum, quia quod est ignis pictus ad ignem verum, hoc est, ignis verus ad ignem infernalem, ut scribit Polycarpus presbyter in vita Sancti Sebastiani. Et tamen quam sèvus, quam crudelis esse debuit focus Laurentianus? Quid enim esse putatis lento igne torri, et alterna versione in candenti crate ustulari? Vidi Romæ ad S. Laurentium extra muros lapidem multis foraminibus pertusum, super quo hoc spectaculum editum et craticula posita fuit: vidi inquam et horru. Et certe si infernus aliud non esset, nisi ejusmodi suppliū, quod pertulit Laurentius, annon satis su-

perque foret, ut quidvis pati et facere mallemus? Et quid si præterea æternum foret? Cogitate saltem, qui esset æternum ita assari? In molle lecto per unam noctem vix uno in latere cubare possumus, et quomodo in cruce ferrea ignea cubabimus æternum? Sed non possum adduci, ut credam non fore severiorum ignem illum, quo puniet hostes suos Deus, quam fuerit is, quo ad tempus affixit amicum suum Laurentium: et non magis puniendum ibi servum inutilem, quam hic servum fidelem. Habent vitriarii inter alias fornaces carentes, unam minus accensam, quam vocant refrigerantem den Kublofen, cum tamen vehementer inflammata sit. Fornax Laurentii sèva quidem est, sed tamen refrigerans solum dici debet respectu illius infernalis. Arsit jam Laurentius, sed non ardet amplius. At palmes infugifer, qui a vita Christo excinditur, in ignem mittitur et ardet, ut dicit Dominus, hoc est, ardet et ardebit semper in omnem æternitatem.

Quæ cum ita sint, quis non eligat potius omnia hic adversa pati, quam ibi torri? «Quis nolit, inquit S. August. serm. de S. Laurent. ad horam uræ Laurentii igne, æternum gehennæ non patiatur incendium?» Et S. Polycarpus Herodi proconsuli ignem minitanti respondit: «Ignem marinæ hunc, qui ad momentum incenditur, et paulo post extinguitur. Verum ignoras ignem gehennæ, qui ad perpetuas pœnas preparatus est impiis,» Euseb. I. IV. cap. XV. Quare precemur cum S. Aug. «Hic ure, hic seca Deus, ut in æternum parcas.» Amen.

## CONCIO VII.

## QUOMODO ODISSE OPOREAT SE ET SUA.

I. Amici odio habendi. — II. Divitiae. — III. Honor. — IV. Forma. — V. Corpus. — VI. Vita.

## THEMA.

*Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Joan. XII.

Præclarum et utilissimum artificium docet nos hodie Christus, qua ratione nimur res nobis charissimas interim tamen fragilissimas et corruptionis obnoxias, conservare nobis possumus sartas tecitas, in perpetuas æternitates. Annon res chara, amici? Divitiae? Honor et fama? Corporis decor? Caro nostra? Vita nostra? At hæc tamen interim suæ natura semper ad interitum tendunt et vitro fragilia sunt: hodie possidentur, cras perduntur: hodie sunt amici, cras

nullus aut inimici: hodie divitiae, cras inopia: hodie honor, cras infamia: hodie venustas, cras deformitas: hodie sanitas, cras ægritudo: hodie vita, cras mors. Christus Dominus hæc omnia quomodo æternum servanda sint, docet cum ait: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam,* (per animam intellige quidquid tibi hic charum est adeoque omnia supradicta): o præclarum igitur, o utilissimum artificium! Audiamus.

I. Amici odio habendi, sicut membrum infestum et putridum, quod ideo abscondendum, ne totum corpus inficiat. Idecirco videns Sara Ismaelem colludentem cum Isaac, ait: *Ejice ancillam et filium ejus.* Aiunt enim ss. pp. Ismaelem figuræ quasdam seu parva idola ex luto fecisse: itaque ne id exemplum idolatriæ ansam Isaaco præberet, ejectus cum matre, Gen. XXI. In locum abscissæ manus, adhibetur ferrea; loco abscissi pedis, fit pes ligneus: quæ etsi indecora sunt valde et inhabilia, utiliora tamen sunt homini, quam putrida illa membra. Unde Matth. XVIII. dicitur: *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, absconde eum et projice abs te: et si oculus tuus scandalizat te erue eum et projice abs te.* In quæ verba S. Hieronim ait: «Si ita est quis tibi conjunctus ut manus, pes, oculus: et est utilis atque sollicitus et acutus ad perspiciduum, scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam, melius est ut propinquitate ejus et emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos et necessarios, causas habeas ruinaram.» Hæc ille. At vero acerba ejusmodi abscissio et separatio esto sit: sed hoc pacte pervenitur ad Dei et sanctorum amicitiam, et conservatur vera amicitia. Etiam Abraham dure accepit verbum id Saræ, ut ibi dicitur: et dura est membris abscissio. Sed ait ei Dominus: *Non tibi videatur asperum super puerum, etc.* Mugiebant vacce illæ, I. Reg. VI. et dolebant se a vitulis suis domi reclusi separari, cum ferrent arcana. Sed hoc pacto perverunt in Bethsames, id est, domum solis: non perventur, si ad vitulos regressæ essent. Et si dura videtur hæc separatio, multo durior erit illa, qua pater a filio, mater a filia in æternum separabuntur. Ne igitur aspera tibi videatur separatio ista ad tempus. Heroicum hujus sancti odii exemplum præbet nobis Saturus Hungarici regis procurator, qui ad Arianismum sollicitatus abnuit; mox uxor timens familie eversionem, adductis liberis ad genua mariti advolvitur, perque omnia sacra obtestatur, misereatur sui, et pendentis a lacte matris filiolæ, allorumque pignorum: Deum condonaturum, quod invitus ipse fecerit, cum alii idipsum fecerint vo-

Bentarii : tum ipse cum S. Job ei respondit : « Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Reformidarem ista, mulier, si tantum tuus vita dulcedo esset futura amara, in amissione rerum nostrarum, imo si tu vere diligeres maritum nunquam cum tuis insidiosis blanditiis, in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age distrahan liberos, auferant uxorem, dirignant facultates : ego Domini promissionum plane securus, verba in mente fixa tenebo : Si quis non reliquerit uxorem, liberos, agrum, aut domum, meus non poterit esse discipulus. » Uxor discedit : Saturus spoliatus omnibus et multis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur. Testis est Victor Uticensis, in persecut. Wandal.

Contra vero qui amicos perperam hic amat, et in eorum gratiam a recto deviat, ibi in gehenna summo prosequetur odio, et propriissime implabitur quod ait Dominus, Matth. X. *Inimici hominis domestici ejus*. Tunc enim quasi canes in se mutuo ringent, maledicent, et improbarunt dicens : Maledictus sis pater, qui me lascivientem non castigasti, sed in scelera educasti ut fierem fomes gehennæ : maledictus sis frater, qui me ad scorta et crapulam verbo et exemplo invitasti : maledicta sis uxor, quæ me ad opes per fas et nefas corrogandas sollicitasti : maledictæ sitis filiæ quia propter vos ornandas et ditandas ego inuste bona aliena occupavi, fœnora et injusta inca captavi, ob quæ nunc uror igne æterno.

II. Divitiae et fortunæ bono odio habenda, sicut merces navim pondere suo submersuræ. Divitiae enim sunt, quæ navim animæ tuæ gravant innumeris sollicitudinibus et peccatorum periculis, Joan. I. nautæ perilantes ejiciunt vasa in mare : et similiter Act. XXVII. Idem cum suis opibus ferunt fecisse Cratem philosophum, quibus in mare abjectis dicebat : *Abite pessimæ divitiae : ego vos mergam, ne a vobis mergerem*. Nos hoc facere convenit, saltem quoad effectum. Cæterum qui divitias et merces e navi projicere cogitut ut vitam servet, si potest, eo projicit, ubi iterum inveniat : ita fiet si pauperibus tribuntur, nam sicut ligna in flumen conjecta, eo deferuntur, ubi caro vœneunt; ita eleemosyna ad cœlum per pauperes delata. Unde Eccl. XI. dicitur : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum*. Non ait super stagna aut lacus, sed super transeuntes aquas : pauperes enim sunt, qui hinc velut aquæ transeunt, futurum inquirentes et desiderantes civitatem. Unde S. Sebast. apud Sur. tom. I. dixit. « Divites si vere amare velint divitias suas, ita amare debere ut eas nunquam perdeant. Nam si cum marsupio

nummis pleno pergeres per hostium castra, et amicus quidam tuus, vir fortis, qui tibi numeros illos donasset diceret tibi : Da mihi servandos numeros illos, quos si tecum tuleris, certo propter illos occideris : nonne tu deberes ad genua ejus procidere et gratias agere, nedum numeros ei credere? » Ita fere S. Sebast. Transis hic per hostium cuneos, qui tibi ob divitias insidianter, sicut Judæi fugiti tempore obsidionis Jerosolymitanæ, ob aurum quod devoraverant occisi sunt, et ejecta eorum intestina ut scribit Josephus de bello Judaico. Quid differs abjicere ante aurum et credere iis, qui reddent in altera vita?

III. Gloria et honor transitorius; quo modo leo sua vestigia cum venatorem sibi insidiantem odoratur (ut scribit Epiph. in physio. c. I. de leo,) cauda sua dissipat et obliterat, ne facile agnoscentur, gressus; leonum sunt præclaræ virtuorum facinora, et talia fere semper sequitur gloria et fama : quod post virtutem velut vestigium ejus remanent. Sed periculosa sunt hæc illis, sepe enim gloriam interim aeternam perdunt, et dæmonum præda fiunt. Igitur turbanda sunt ea vestigia decisoria illa Christi sententia, Matth. V. *Recepérunt mercedem suam*. Princeps aliquis inter hostes constitutus odit annulum suum signatorium, per quem proditur, eum enim abjicit, ne prodatur. Ita enim per annulum suum proditus est Conradius ultimus Suevorum princeps, et postea Neapoli capite plexus. Idem accidit iis, qui laude sua delectantur vel eam etiam captant, perdunt enim merita sua dum ea vel ipsi prædicant, vel prædicari sinunt. Inde est, quod viri perfecti cum aliquid laude dignum per se narrare coguntur, utantur tertia persona, uti docuit et fecit David ad Saulem, I. Reg. XVII. inquiens : *Pascet servus tuus gregem, et veniebat leo et ursus, etc.* et Paulus II. Cor. XII. *Scio hominem, qui raptus est in tertium cœlum, etc.* Considerabat hæc prudens illa femina, quæ apud Avernos cum viro suo perpetua in virginitate vixit, defuncta demum in sepulcrum dum deponeretur, maritus dixit : *Gratias ago Deo meo omnium opifici, quod eam redam illi intactam et impollutam*. Illa vero : *Sile, sile, inquit, vir Dei, quia non est necesse aperire nostrum nemine interrogante*, Greg. Turon. de glor. confess. c. XXXII.

IV. Forma et venustas corporis odio habenda, sicut elephas dentes suos eburneos odit. Eos enim ubi propterea insidias patitur, ad arborem allidit et excutit; quo venatores eum persequi cessent, capto ebore, atque ita vitam præda redimit, ut est ap. Plin. I. VIII. c. III. Nemo nescit, quod insidias patiatur corporis forma. Non haesisset e

quercu pendulus Absalon, forte nec periisset, si capillos totondisset sæpius in anno quam semel, et tanti non æstimasset, II. Reg. XIV. Dum avicula plumas suas comit et componit ab aucupe dejicitur, non trajicienda, si sibi attendisset : ita dum Jezabel stibio se depingit, per fenestram præcipitatur, IV. Reg. IX. Idcirco viri cauti oderunt formam suam et elephantis instar destruxerunt. S. Birgitta virgo ne ob insidias formæ patetur, alterius oculi deformitatem a Deo impetravit: S. Ephrosyna, ap. Sur. sub veste virili peregrinata Deo servit in monasterio : S. Alexander quod forma pereleganti et rara esset, ne vel alias læderet, vel ob eam ipse læderetur, carbonarium induit, officiumque id exercuit, quod faciem nigrore tegeter, ut est apud Baron. anno 233. Super omnia est Ebba illa Collinghamensis monasterii abbatissa, quæ audiens paganorum Danorum vicinitatem et in sacras virgines impudentiam et crudelitatem, persuasit monialibus, ut si salvam suam virginitatem cuperent, exemplum suum sequerentur : moxque arrepta novacula nasum sibi cum superiori labio ac dentes usque præcidit; quod exemplum pari ardore secuta tota congregatio, paganis horrorem incussit, salva sua pudicitia, ut est, apud Baron. ann. 870. Sed dura sunt ista nobis. Esto sint majora viribus nostris, faciamus id quod facile est. Cessant inutiles corporis compturæ, etc. Quid faciunt aurum et gemma in caligis rusticorum? Et quid superfluous ornatus in sacco stercorum et vermium?

V. Caro et corpus proprium, sicut admirales christiani oderunt Turcas et Mauros remiges tremium suarum. Etenim gubernator christianus et tremium dux, ubi adversantes sibi Turcas vel fugare vel fortiter aggredi vult, si forte advertat remiges a remigando cessare, quod sperent se in libertatem asserendos, si in potestatem hostium veniret, vel quod similiter Turcae aut eorum asseclæ sint, accipit flagellum et per medium tremis incedens acriter eos verberat, quod si nec ita proficit, gladium arripit, uni crux alteri brachium amputat, quo reliquos in officio contineat et vel invitatos compellat fortiter omnes trahere. Quod si cum hoste pugna heunda, arcuissime vincit Mauros et Turcas, mancipia sua, alioquin ab his non minus timendum ei esset, quam ab hostibus : ita res habet in proposito. Dum enim in hac vita navigamus, caro nostra ita in officio contendenda est, ne dæmoni sibi confederato nos prodat. Ita fecit apostolus, I. Cor. IX. dicens : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo*. S. Macarius cum sacco terra impleto spatiari solitus aiebat de corpore suo : *Vexo vexantem me*, apud Sur. tom. I. Evagrius teste

Palladio objicientibus sibi : *Ut quid corpus tuum occidis?* Occidit me, ait, occido illud : Moyses abb. dicentibus sibi corpus serio afflagenti discipulis : *Quiesce paulisper pater. Quiescant passiones*, ait, et quiescam ego.

VI. Vita nostra sicuti granum quod in agrum jacitur, et multiplicatum resurgit ac vestitum. De alphora pisce eum primo vermem esse, postea in pisces transire. Rursum si tabe aliqua consumatur, is pisces extra aquam se recipit, et etiam defluxia omni carne usque ad caput ipsum et oculos, si in aquam remittatur, corpus quod fuerat absumentum carne rursum vestitur, et renascitur. Cæterum restauratum hoc corpus longe vivacius est, quem si incorruptum semper fuisset, nam accedit illi longævitatis, cum antea brevissimæ esset vitæ. Ita nimur qui brevem et ærumnosam hanc vitam Dei amore contempserit, longam et beatam inveniet.

Pertinet huc, quod Thomas Morus martyr regis Angliae Henrici VIII. cancellarius, cum in vinculis esset, quod regis divertium cum Catharina Caroli V. materterea, et adulterium cum Anna Bolena superinducta approbare noluisse, uxori suæ quæ instigabatur, ut viro persuaderet, ne secum bona, liberos, famam, vitam perditum iret, ac proinde consentiret, respondit. Quærebat enim ab ea Thomas, quot annos adhuc ipsum vivere posse opinaretur : *Totos viginti, ait illa, et pluribus etiam si Deo placuerit. Vis ergo, ait Morus, ut æternitatem viginti annis commutem?* Nætu imperita mercatris es : nam si viginti annorum millia dices, aliiquid viderere dicere. Sed quid vel hoc ad æternitatem? Atque ita mori maluit et occidi, quam impio regis facto subscribere, Pontan. in Attic. bellar. syntag. IV. de apophth. Unde Chrys. hom. XXVIII. de diversis ait : « Quid sunt decem annorum millia, cum sæcula cogitas infinita? Nonne quantum est stillicidium minimum abysso comparatum? » Apud eudem ibid. Ad extremum ita vitam suam temporaneam, tametsi ipso adhuc adolescentia flore, hodie habuit Laurentius, ut pro Christo eam ponere nihil dubitaret : certissima spe nixus, sibi in altero sæculo donandam esse æternam, felicem, beatam, etc. quam et nobis omnibus largiatur Deus.

## CONCIO VIII

## DOCUMENTA.

I. Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet. — II. Qui amat animam suam, perdet eam. — III. Qui mihi ministrat, me sequatur.

## THEMA.

*Amen, amen dico vobis. Joan. XII.*

Sapienter quidam dixit : *Tribus hisce paruisse nunquam te pœnitiat : veritati potissimum divinæ : consilium danti bonum : gallo gallinaceo e sonno excitanti. Jam vero in hoc. evang. audimus imprimis veritatem divinam : Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Audimus dantem consilium bonum : Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam.* Audimus denique vocem quasi galli gallinacei, de somno vitiorum et ignaviæ excitantis, necnon ad laborem et sequelam Christi incitantis : *Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* His ergo tribus, auditores, paueamus, et nunquam nos pœnitibet. Ea vero nunc discutiemus.

I. Documentum primum : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hæc divina veritas docet nos primo, mortem homini christiano optandam potius, quam timendum ; siquidem et Christus, cuius resurrectio exemplar est resurrectionis nostræ, resurrexit a mortuis maximo cum fænore, dum et sibi gloriam immortalem ei innumeris hominibus vitam peperit et salutem, ad instar grani frumenti, quod emortuum in terra, multiplicatum resurgit et vestitum. Hinc apost. I. Cor. XV. resurrectionem nostram hujusmodi grano comparat : *Dicit, inquit, aliquis: Quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient? Insipliens tu quod seminas non vivificabit nisi prius moritur, et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, utpote triticum aut alicujus cæterorum; Deus autem dat illi corpus sicut vult, etc.* Quamquam enim granum hujusmodi putrescit et moritur in terra ; inde tamen renascens germinat, et quod nudum erat seminatum, resurgit spica vestitum et granis cumulatum. Pari modo nos Christiani ; tametsi per mortem seminamur nudi, resurgemus tamen vestiti gloria et dotibus animæ et corporis ; resurgemus et multiplicati, si nimirum alios verbo vel exemplo perduxerimus ad salutem. Nos certe

insigniores spicas, quæ plurima grana, et rariores culmos, qui plures spicas progenuerunt cum honore ostentamus et quandoque depingi vel in æs incidi curamus. Qualis ergo gloria erit illorum, qui plurimis vestiti dotibus, plurimis cumulati filii in Deo genitis prodibunt in illo die ? Cæterorum hominum gloria et felicitas desinit in morte et sepelitur in sepulcro : Christianorum gloria et felicitas incipit in morte. Quid nobis, quæso, prodesset hæc vita, si in hoc corpusculo tot calamitatibus et miseriis obnoxio perpetuo viveremus ? Nonne semper miseri, nudi, soli ac desolati maneremus ? Vedit hoc Laurentius, qui ut vestem gloriæ indueret, neglexit vestem corporis sui et igne absumi passus est : viderunt hoc illi, qui vinculis carnis expediti et ad superos evecti ad vitam postliminio revocati, ægre redierunt. Ita discipulus S. Mutii abbatis jam defunctus, a magistro superveniente rogatus, malletne abire et esse cum Christo, an permanere in carne, resedit et recepto spiritu ait : *Quid me revocas pater?* Melius est mihi redire et esse cum Christo, Ruffinus in vitis pp. I. II. c. IX. Sic Marcellus a morte suscitatus per S. Fortunatum episcopum Tuderlinum ingemuit ac dixit : *O quid fecisti, o quid fecisti!* S. Greg. I. I. dial. c. II. sic et S. Salvius episcopus resuscitatus ingemuit, ut narrat fuse Greg. Tur. I. VII. hist. Fr.

Docet secundo, persecutorum et inimicorum injurias minime timendas ; siquidem dum nobis obesse volunt, prosunt : dum nos deprimit, exaltant : dum in terram abjiciunt, ad celos elevant. Quemadmodum enim is qui frumenti grana ex odio vel indignatione abjeceret in agrum, prodesset non obesus granis : ita qui nos premunt et vexant, ad vitam æternam promovent, et ad Deum ire compellunt : quemadmodum Moyses sese et Aaron, cum seditio populi oriretur contra ipsos fugerunt ad tabernaculum, Num. XVI. ita Joseph patriarchæ profuere fratres, aliqui persecutores, dum eum vexavere. Pro odio enim fratrum acquisivit gratiam regis ac principum ejus : pro exilio evocatus est ad aulam regis : pro labore manuum in servitio cophini, accepit anulum aureum : pro pallio, quod adultera relinquit, indutus est stola byssina : pro compedibus, cinctus est torque aurea : pro carcere curru impensus est regio : pro servili nomine accepit regiam, dictus salvator mundi. Quin et dæmonis injuriæ in bonum nostrum cedent. Audi Jacobum eremitam, qui cum ei dæmon minaretur : *Tantam tibi inuram infamiam, ut nemo te aspicere velit,* respondit : *Agam tibi gratias; nam invitus inimicum tuum beneficio afficies, ut qui efficies, ut magis verses in Dei recordatione, Theodoretus, in Philo-*

theo, c. XXI. Quid dæmon, quid Judæi nocuerunt Christo, dum ejus nomen extirpare crucis ignominia conati sunt ? Promoverunt hoc ipso, non impedierunt gloriam ejus.

II. Documentum secundum : *Qui amat animam suam perdet eam, et qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam.* Consilium hoc optimum primo, suadet ut nosmetipos mortificemus, frænando concupiscentia motus et sensus nostros, carnem spiritui subjiciendo. Vivunt enim in appetitu nostro carnalia desideria, motusque concupiscentiæ, quibus vitaliter concupiscimus delicias, cupedias, veneres, honores, aliasque res carnales ; quæ desideria nisi edomemus, iis resistendo, eaque supprimendo, perdemus animas nostras. Quia vero magis vitaliter inhærent animæ, quam dens ori, imo quam anima corpori, hinc absque dolore nequeunt evelli ; ac propterea oportet odisse animam suam, id est, præcidere cupiditates carnales, licet id fieri absque dolore nequeat. Verum dolor hic exiguis est, respectu doloris æterni, qui sequitur immortificatos. Igitur si sapiis, odi te ipsum ad momentum, ut amare te possis in æternum : et ne odisse te in inferno debeas semper. O si nobis explicarent infernum illud, quo seipso prosequuntur et redarguant ! Quam inde saperemus et leve ducemus odium animæ temporale ! Hinc enim sancti nihil tam abominabile, nihil tam amarum existimarunt, quod non libenter devorarent causa gehennæ effugiendæ. Talis Paphnutius abbas, a vino abstemius ; qui cum incidisset in latrones, qui novarent eum vini osorem, coegerunt eum stricto gladio grande vini poculum protinus haurire. Paphnutius absque mora bibit. Quo viso is, qui coegerat, veniam ab eo petiit. Cui Paphnutius perbenigne : *Deus tibi retribuat in hoc altero sæculo oblatum vini calicem.* Hoc auditio responsum emendati latrones a latrociniis abstinuerunt, in vitis pp. pag. II. c. CXLI. Talis Sanctus Franciscus, qui adhuc in sæculo degens, dum in itinere leprosum offendit, horruit primo aspectum ejus ; mox tamen seipsum corrigens, substitit, et ut seipsum vinceret, facta sibi vi leprosum osculatus est et liberali eleemosyna exceptit. Similiter Sanctus Conradus episcopus semetipsum vicit, quando araneam, quæ forte in sacramentum incidat calicem, intrepidus exhaustit. Necnon episcopus ille Salisburgensis (Sanctum Eberhardum existimat fuisse Raderus, pag. 1. Bav. sanct.) qui cum leproso præbuisset sanctam eucharistiam, rejectam ab eodem, quasi simulata nausea manibus suis exceptit et in honorem tanti sacramenti sorbuit, immunditiis licet aspersam. Probavit nimirum ejus virtutem Christus, qui in specie leprosi hoc

agens postea disparuit, Cæsarius, I. VIII. c. XXXIII. pag. CYLVII. Denique, Laurentius noster thesaurum Ecclesiæ proderet tyranno et fidem suam, nonne craticulam amplexus est, carni supra quam dici potest adversam et crudelem ? Atqui hoc est odisse animam suam, ut in vitam æternam custodiatur.

Secundo, dissuadet philautiam seu amorem sui ipsius, dum ait : *Qui amat animam suam perdet eam.* Qui enim blanditur carni suæ, et concupiscentiæ ejus, videtur quidem amare se revera tam odiit ; veluti si æger noxia sibi procuret et concedat : hic enim ad momentum sese recreat cibo vel potu desiderato, interim tamen sibi mortis aculeum infligit. Voluptatis sensu afficitur ulcerosus vel scabiosus, dum proprium ulcus vel scabiem fricat, sed postea n. agis dolet ex ipsa fricatione. Quare Sanctus Augustinus tract. CXXII. in Joanne ejusmodi amorem verissime appellat, non amorem, sed odium sui ? *Quisquis, inquit, seipsum, non Deum amat, non se amat.* Dicito enim mihi : Num tui amantem dices eum, qui te hostibus tuis tradit ? Nam Dalilam illam dices vere Samsonis amantem, quæ illum blanditiis delinuit, consopitum et enervatum tradidit Philistæ ligandum, exculandum, illudendum ? Minime, inquires. Idem præstabit tibi caro tua, si ejus desideriis obsecutus fueris. Unde monet Ecclæsiasticus, cap. XVIII. *Si præstes animæ tux concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis, id est, dæmonibus, ut ait gl. interl. Expertus id est illi, qui dixit animæ sue : Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comedere, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, Luc. XII. Ecce quomodo istius anima deliciis nutrita fecerit eum in gaudium dæmonibus.*

III. Documentum tertium : *Qui mihi ministrat, me sequatur ; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quibus verbis Christus primo, excitat nos e somno vitiorum et ignaviæ, ad servitutem sui, utpote gloriosam, omnibusque mundi servitutis, imo regnis prestantiorem. Qui terrenis dominis servit, non fit particeps bonorum domini saltem optimorum ; nec ubicunque dominus est, illuc admittitur servus. At de servis suis ait Christus : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit,* in cœlo videlicet particeps regni cœlestis. Ad hæc qui hominis servus est, vel nunquam vel raro ejus amicus est : verum Dei servus semper etiam Dei amicus et filius est. Servitus enim divina inititur timori filiali, servitus humana servili. Hinc amicos suos intimos, ut Moysen, consuevit Deus vocare servos suos. Rursum gratiæ principum

cito expravit et servitia eis praestita levi de causa obliioni traduntur : « Novimus, inquit Cornelius a Lapide, in cap. I. Exodi, nuper in Belgio aulicum primarium, qui principi cuidam vicino per multos annos intimus et in summis fuerat deliciis : postea vero levi de causa omni ejus gratia excidit. Is ex aula secedens altius philosophari Deoque et animae sue vacare coepit tumque dictitare solebat : Experientia didici quantum intersit inter obsequia delata principi et delata Deo; rursum quantum intersit inter gratiam principum et gratiam Dei. Didici enim et vidi obsequia magna, et multa principi delata cito obliioni tradi et parum remunerari: si principem vel leviter offendas, vidi, quod manet alta mente repostum quodque severe vindicatur : obsequia vero etiam parva Deo delata, didici in aeterna ejus memoria servari, magnisque et aeternis premiis ab eo remunerari : offensas autem in eum etiam graves levi penitentia ita deleri, ut ipse protinus omnis injuria obliviscatur poenamque ultro condonet. » Denique, domini terrae parum praestare servis suis possunt; in rebus enim omnium arctissimis, et maximis necessitatibus juvare eos nequeunt : Dei vero servi omnipotentem Dominum habent. Refert Vincentius Belvacensis, in speculo morali, militem quemdam postquam fideliter serviisset marchionis cuiusdam, agrotare coepisse, et a domino suo saepius visitatum interrogatumque esse, quid rerum ipsi decesset; nullis se impensis parsurum, dummodo aeger desiderium suum exponeret. Respondit aeger : « Si pro meis laboribus et servitio fidei aliquid mihi gratum rependere decrevisti, fac ut aut mortem imminentem evadam, aut saltem una hora ab his meis doloribus sublever, et si contingat me hinc emigrare, una saltem nocte provideas mihi de hospitio commodo et optato. » Cumque marchio diceret haec omnia in Dei solius manu esse, se vero temporalia, quae posset libenter ei subministraturum, tum aeger adstantes versus : « Videtis, inquit, nunc charissimi, quam male tempus impenderim, ser-

viendo isti domino, qui nec ad unam horam liberare me ab his doloribus et animae periculis potest. Suadeo itaque vobis, ut meo exemplo sapientis et tali Domino serviatis, qui vos in extrema necessitate potest adjuvare, et a paenitibus ac futuris præservare cœloque adscribere, id quod etiam si convaluero, facturum me spondeo. » Obiit ergo in hac bona cogitatione, bene, ut spes erat. Vere itaque dixit Sanctus Ambrosius : *Dignitas est servum esse potentis*: et Sancta Agatha ad tyrannum : *Multo pretiosior est christiana humilitas et servitus regum opibus et superbia*. Quem vero non excitabit ad serviendum Christo, sententia illa : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus?*

Secundo, excitat ad sui imitationem : *Qui mihi ministrat, me sequatur*. Quorsum vero vult ut sequamur eum? Ad crucem utique et mortem, de qua paulo ante locutus erat, et ad quam præcessit nos. Dicebat v. espasianus imperator : *Imperatorem decet stantem mori*, q. d. laboribus immori; idque ei contingit, dum inter manus servorum obiit. Eodem modo Christus stans in cruce et perdurans in laboribus obiit. Hujus igitur exemplo decet Christianum patientem et laborantem mori: quia a duce suo præmium expectat. Sic obiit Sanctus Stephanus, qui inter imbre lapidum non desit convincere et devincere Christo Judæos: sic Petrus in ipso carcere convertit Processum et Martinianum cum aliis quadraginta quinque: Sanctus Paulus et ipse in carcere convertit Philemonem, et quosdam de familia imperatoris, nec destituit per epistolas hortari et confirmare Ecclesias: S. Andreas biduo in cruce pendens prædicare nunquam intermisit: ita beati confessores, Ambrosius, Hieronymus, Beda aliquie sacrorum librorum scriptio institerunt usque ad mortem: denique, Laurentius noster in ipsa craticula jam semiustulatus, tyrannum redargueret et cohortari non omisit: *hunc igitur sequamur* etc.

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

LAURENTIUS VERE URBANUS ET AULICUS HISPANUS.

- I. Quia amicum non deseruit in necessitate. — II. Quia ultro dedit munera. — III. Quia potentes sapienter admonuit. — IV. Quia cessit paribus et inferioribus. — V. Quia etiam male acceptus gratias egit.

## THEMA.

*Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Joan. XII.

Notum est in aulis regum, neminem estimari nec admitti facile ad principem, multo minus promoveri, nisi qui urbanitatem et mores aulicos didicerit: rusticos et inurbanos exsibilari et extrudi. Habet etiam Christus Rex regum suam aulam, in qua et ipse quoque desiderat viros aulicos et urbanos: hos promovet et exaltat, adeo ut in hodierno evangelio dicat: *Ubi ego sum, illuc et minister meus erit*. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*: inurbanos vero et inciviles negligit ac contemnit. Quid videtur vobis de Laurentio? Fuitne ipse aulicus? Sane Ildephonsus Giron. Hispaniarum regis concionator, in festo S. Stephani, refert Sanctum Laurentium martyrem ab Italibus appellatum *il cortese Spagnuolo*, urbanum seu aulicum Hispanum, hac de causa. Cum enim corpus Sancti Stephani Romanum deferretur in basilicam et sepulcrum Sancti Laurentii, adeo id honorifice exceptit Sanctus Laurentius in templo et sepulcro suo, ut ei dignorem locum cesserit, loculum suum in sinistram transferens, dextram Stephano concedens. Magna haec est laus non tantum Sancto Stephano, sed etiam Sancto Laurentio, qui in suo domicilio protomartyri Stephano primas detulerit; jure propter hanc appellatum aulicus. Sed non est haec una hujus rei causa: plures alias reperiemus.

I. Vere aulicum, et exulti moris est, amicum non deserere in necessitate, sed tum vel maxime ei assistere. Hoc enim ingenui hominis est, non fortunam sed amicum diligere: illiberalis vero non amicum sed fortunam ejus. Laurentius noster adhæsit Sancto Xysto, domino et pontifici suo, etiam cum is ad mortem duceretur, quantum in ipso fuit, volens cum ipso mori. Ita enim ei loquitur plane aulice: *Quo progrederis sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine ministro properas?*

Num paternitati tuæ aliquid in me displicuit? Experire utrum idoneum ministrum elegeris, etc. En tibi vere aulicum: quales certe non ubique reperias, nam: *Rara fides, ubi jam melior fortuna ruit*, ait Seneca, in Herc. O. E. Plures enim in aula adorant ad orientem solem, quam ad occidentem; principem fortunatum, quam dejectum ad infortunium. Sic Alphonsus rex Aragoniae navigans e Sicilia, et videns aves garrias navim circumvolantes, dum cibi eis projicerentur; similes dixit aulicis suis, qui mensam tantum sectarentur et fortunam suam, Panormitan. de dict. et fact. ejus. Mercurius auri amantissimus, fortiter ei adhæret, attamen cum aërum in fornacem mititur, statim illud deserit. Tales amicos describit Nahum, cap. III. *Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ condunt in sepibus in die frigoris: sol ortus est, et avarolarunt*. Vult dicere: Duces tui, milites tui, o Nine, dum bene tibi est, te defendunt: at ubi venerit Chaldeus, ejus timore perculti fugient; sicut locustæ noctu, sub septum calore se defendunt, sole orto avolant. Tales experta fuit cives suos S. Agatha virgo, quæ cum e Panormitana civitate Catonam duceretur, judici sistenda, paulum progressa, dum ei calceamentum pedis solveretur, id restringere volens, sese inclinavit et ligavit: postea retro conversa, cum neminem civium, qui eam secuti fuerant vidiisset, sed solis militibus se stipatam, omnes alios ad sua regressos esse, magno dolore affecta, oravit: *Domine Deus, ostende quæso civibus meis, qui non crediderunt ancillæ tuæ, nec perfecte me secuti sunt, signum aliquod*. Et statim orta est sterilis olea, quæ mentes Panormitanorum steriles publica ignominia notabat, ut in ejus vita 5. febr. Quid enim olea illa sterilis designavit, nisi sterile et inane Christianorum nomen, carens fructu operis boni? Fructu fortitudinis et constantiae, quæ martyri prelum, ut oliva, non refugiat?

II. Vere aulicum est dare etiam non petentibus, et ultro offerre munera, querere insuper occasionem dandi. Præstitit hoc Sanctus Laurentius, qui accepta a Xysto papa potestate dispensandi thesauros Ecclesiæ, mox pauperes perquisivit in eorum domunculis et distribuit eis elemosinas, ac de nocte quidem, ne adverteretur a gentilibus. Talis elargitor erat etiam David, qui evectus ad regnum, inquisivit utrumne supererset aliquis de domo Saul, cui benefaceret propter